# DE PHLOGOSI DUBIA QUÆDAM DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM MEDICAM...

Benedetto Tentori



11

# DE PHLOGOSI
## DUBIA QUÆDAM

## DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
**Medicam ad Lauream**
IN
C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO
RITE ASSEQUENDAM
PUBLICAE SUBDIT DISQUISITIONI
**TENTORI BENEDICTUS**
DE
CAMPO SANCTI PETRI



PATAVII
TYPIS CARTALLIER
MDCCCXXXVI



**PERPETUO DURATURAE**

DESIDERATISSIMI PARENTIS MEMORIAE

*Hac mihi non plene laetâ die, quâ medica laurus mea praecingit tempora, parvum hocce opus, amatissime Pater, soli tibi dicandum censueram:—erat hoc, hoc fuit semper in votis!— Jamque solatium meis erat interdum laboribus excogitatio haec sola, quod tu nempe bono animo, vultuque paterno amare ridenti istum accepisses libellum qua filii tui erga te amoris gratique animi pignus; jamque prae oculis illa stabat serena dies, quae tibi tot tantasque rependisset curas, de quibus te me largitum perenne recordabor; jamque...— Ast heu! quam durum, quam barbarum est dulcedinis pocula speratae praelibare, ubi*

*haec fieri demum inexpectatae amaritiei calices debeant!—Avara, praecox nimium atque invida integri mei gaudii mors te mihi, optime parentum, sex ante menses, praeripuit, atque una tecum sic diffugiere... evanuere grata cuncta dulcissimi futuri temporis somnia!—Adest, en, adest optata dies: prae me frequentes adsunt agnati, amici frequentes; at nequicquam te mea inter ipsos cupida, discurrentia lumina inquirunt... non ades!—*

*Attamen istud, quod tibi corde offero, tu saltem, chara dilecti patris anima, accipe opusculum; et si quid amoris in terrena coelicolis datur posse servare, me ipso etiam nunc, et semper, prosequere; sique, spiritus humanis quanquam inaspectus oculis, hic tamen adsis, mihi faveas, deprecor, arrideasque ...— Hoc omen sit faustum, totius quod me per vitae cursum sectetur!—tui vero obliviscetur nunquam*

*Moerens Amantissimus*
*Filius.*

Semeiotice profecto processit longius quam reliquae Therapiae partes; ita ut si junior saepe in nonnullis morborum formis dijudicandis haereat, id, antequam vitio descriptoris, deficienti studio adsignandum sit; quia aut cuncta phaenomena, uti in libris occurrunt, recordatio non praebeat, aut saltem non ita mens componat ut ad causam vel unicam vel praecipuam redigantur.

At enim, facto morbis nomine, non eorum natura simul elucescit et cura, quam adhibeas: unde et Prognosis implicatur, quam Diagnosis clara certaque curatio efficiunt.

Difficultatibus vero, quae juventutis propriae sunt, tempus unum praesens remedium est. Ast alias reperis, de quibus aut qui medicinam ante nos fecere sunt criminandi, aut ipsa medicinae conditio. Nam cum nemo inficietur omnes in clinice factorum supellectile indigere, eâque juniorem destitui, et hinc ab aliorum experientiâ

haec esse derivanda, in quâ tot vigent disceptationes; ecquis non videt juvenem sic in ancipiti haesiturum?

Non mihi subit considerare undenam hujusmodi controversiae originem trahant, nec ostendere quam sit opus aleae plenum periculosae identidem non decipi. Id tantum animadverto: difficillimum esse, ne dicam impossibile, ita scriptores germanam phaenomenorum seriem interpretari, ut nihil opinio subrepat neque in conjecturis, neque in comparationibus, neque in corollariis, quae tamen de naturae ipsius veluti visceribus deprompta videantur; ut jure existimes centum verbis, re vero unum aut alterum a systematibus abhorrere. Quod idem sonat ac si diceres, peracutâ mentis acie opus esse ut magnorum virorum experientiam sejungamus ab auctoritate: utque verear ne tyrones demum nil alio nisi Auctorum nominibus contendant, eisque, pro re, tantum sit numerus aut gloria scriptorum pervagata.

Utque primum quia medicam praxin ingressus est, ille in omnes hosce scopulos singillatim compellitur; ex quibus tamen nonnulli consurgunt latius conspiciendi ita, ut vindicent omnem sibi animum; et nonnullorum fugam indicant doctrinae reliquis aliis contrariores. Quae geminae asperitates in phlogosi reperiuntur: de quâ breviter aliquid attingam, non ignota novaque reseraturus, at expositurus tantum mentis dubia meae.

Sunt nonnullae veritates et in hac medicinae parte, quas post innumeros labores clarissimorum virorum immerito oppugnaremus. Omnes referre longum esset; dicam tamen quod cuncti unanimiter sentiant antiphlogisticis, ut vocant, remediis sanari inflammationem, dum talis est: phlogosin deinde, quam dicunt notham, in corporibus contingere a morbis praegressis, a vitae genere, a causis (ut nuncupant) deletricibus, a parentum vitio pessumdatis, aeque tamen semper antiphlogisticis abigendam: a quibus tunc prudens clinicus se contineat cum non sinant aegroti vires progredi ulterius; in spuriis peculiariter, quae praeterea facilius aboriantur, pertinacius vivant, extinguantur difficilius: mox diathesin hyperathenicam atque inflammationem res esse sejunctas: diathesin commutari, phlogosin vero aut rarius aut nunquam .... licet me temperare nesciam quin poscam ex TOMMASINI quandonam phlogosis desinat atque ejus producta incipiant.

Postulo insuper ne, vitiosâ argumentatione, morborum natura pharmaca atque eadem mox pharmaca eosdem morbos definiant: secundo, ne multis causis, quia diu adplicitae saepius deprimentem facultatem manifestarunt, effectum concedamus illico et semper reapse deprimentem; ut inter causarum, aliis verbis, potentiam atque actionem, reagentis naturae molimina projiciamus: ut conveniamus denique morbos omnes

(quicunque eos processus alat) vires semper, aeque cum nutritione passu, serius ocyus infirmare.

Haec generalia principia sunt, a quibus non discedam cum de formis phlogisticis loquar particulatim.

---

Negat Velpeau tunicam internam arteriarum *posse primitus corripi ex inflammatione:* et simul recenset perversiones varias, quibus illa subditur, quin hae phlogoseos inferre suspicionem queant. Verum, pace tanti viri, cur postquam arteritidem chronicam atque acutam inter *mera* auctorum *commenta* « semplici supposizioni » collocavit, quia « le rossezze « ut inquit » il colo» rito variamente oscuro .... sono fenomeni d' im» bevimento, che dipendono dalle qualità del ge» nere di morte; « quia in legitimâ phlogosi » la » lavatura non ha poi il valore, che le si attri» buisce per distinguere il colorimento flogistico » dai rossori cadaverici, e toglie soltanto il san» gue fermatosi sui vasi a guisa d' uno strato di tintura, « addens praeterea quod » la macerazio» ne sola può dissipare quello, che non penetrò la » sostanza per imbevimento; « cur, inquam, non negat ille indicium esse inflammationis generationem vasorum » uuita a qualche altro cangiamento materiale nelle qualità anatomiche? »

Hoc mihi quidem incompertum est: nisi forte, ut videor, auctoris opinio sit intimam tunicam arteriarum passivo quasi et mechanico modo exteriorum statum participare; huicque rei obscuria innuat illis verbis; « e tali alterazioni avvengono sempre per via concentrica » (1).

Ne vero Bard monitum obliviscamur frequentiorem esse multo longe arteritidem ac vulgo creditur: cum in octuaginta vità defunctis in Hôtel-dieu, nullus tunicas arteriarum internas phlogosi omnino expertes exhibuerit (2). Portal insuper et Vaidy in tunicà arteriarum internà diffusum ruborem invenerunt tunc etiam cum mucosa at fibrosa nihil candoris proprii amisissent: quod in Aortà praecipue conspicuum erat (3). Neque Bard ipse de externis tunicis loquitur qua majori pravive inflammatione correptia (4).

In cadavere insignis Melandri, cujus adhuc Fa-

— (1) *Cuncta haec:* — Velpeau. Trattato di Anatomia Chirurgica. Cap V. §. 1. Della tonaca interna delle arterie. pag. 56. —

(2) Dizionario delle Scienze Mediche. — Arteritide. —

(3) Dizionario citato *loco eodem.* —

(4) Horum observationibus illas adde, quas ab Hunter, Sherwen, Schmur, Albernetty, Merel, Sasse, P. Frank et Meli factas ex Tommasini comperimus in suà 71 adnotat. ad opus, cujus titulus: *Ricerche Patologiche sullà febbre di Livorno* ec. ec. —

tum Chemica Scientia lamentatur, aorta crassitiem et dilatationem acquisiverat; pervadebat autem internam ejus superficiem minuta injectio ad externam translucens repetitis lotionibus non amovenda. Maculae etiam albo-flavae, et peculiares quasi quaedam exulcerationes huc illuc disseminabantur: lenticulares praeterea (eaeque intensius rubrae) maculae prominebant ex superficie, quas ubi scabisses ungue, squamula in conspectum veniebat solida, fragilis et crepitans: quae conditio ad omnes, vel remotiores, aortae propagines, superiorum praesertim artuum, proserpebat. Vivens Chemicus, ut eximius refert MONTESANTO, obtulit pulsus pertinaciter rigidos celeresque, formam rheumatico-catarrhalem, molestias fugaces obscurasque huc illuc, et respirationi quodammodo impedimentum: quae cuncta lenierant phlebotomiae, hirudines, digitalis atque antimonialia. Ille praeterea vir haemophthysi, in primâ juventute, superatâ, rachiticus fere atque obaesus corpore, chloroticum veluti colorem et quandam particularem vocem gerebat. (1)

Hic symptomata, curam, necroscopiam habes consentientia: artis chemicae exercitium videas, atque valebit idem etiam de causis. Supervaca-

(1) OMODEI. Giornale. Aprile 1833.— MONTESANTO. Memor. sulla morte di MELANDRI.—

nsum esset si adderem alistas historias a peritis fuisse observatas viris, quos non hypotheses et ipsi oculi ducebant.

Anatomica arteriarum fabrica nervos et vascula sanguinea in tunicâ interiori desiderat. Eo id, cui innititur VELPEAU, negans symptomata arteritidis esse posse dolorem, sanguinemque simul intimae tunicae suffusionem. Dicam quod in multis phlogosibus, praesertim scie praeterlapsâ, aegroti leviter indolescunt, et, quamvis obscura, tamen indolescunt et in Arteritide: dicam quod VELPEAU sententia mathematicam ferme lineam in textubus obducit. Tunicae internae arteriarum, esto, carenut nervis; et communis vagina tamen, quam adscititiam vocant, instruitur nervis: hanc vel auctor idem perhibet interceptam esse vasibus, quibus nutriri tunicas interiores docet: has phlogosi, ut ostendimus, corripiuntur, quae cum esse nequeat absque majori sanguinis flumina, qui dici poterit arteriolas etiam, e vaginâ communi enatas, majori cruoris undâ non pervadi, nervos in consensum trahi et posse dolorem exoriri?

Vasorum praesentiam, naturali sub conditione, in arteriarum intimâ membranâ non adfirmabo: et quem lateat physiologiam non semper ducem fieri ad pathologiam? Phlogosis dabit aut incrementum vasibus illis capillaribus, quae secua microscopio se subducerent, aut novis plane efformationem.

Nonne in eâdem conditione epidermis sitâ est? Et nonne pariter inflammatur? Quid de Plicâ Polonicâ asserendum? Nonne pili vasibus omnino carent? Et tamen nonne illi turgent, non simul quasi glutine tumentes agglomerantur? Non dolent et leviori sub attactu? Relictis vero phaenomenis generalibus, quae Plicam antecedunt et comitantur, hic jure dicendum est aut dolorem, turgoremque, anctamque secretionem (cum motus vascularis et rubor hic nulli esse queant) impares esse ad localis phlogoseos praesentiam dijudicandam, aut Plicam phlogoseos symptomatibus consurgere.

Senilem gangraenam ex depositione cretaceae substantiae inter cellulas tunicae arteriarum internae auctor idem derivat, quae ibi jacens in minimis surculis totum vasculorum lumen obtenebret (1). Quem processum incusabimus qua depositionem istam inferentem? Respondebo; id, aliis verbis, esse arteriarum lithiasin, nomen elapsis praecipue annis usurpatum valde, in cujus causas et naturam recentiores adcuratius investigarunt. Et re quidem verâ: in tunicâ arteriarum interiori pultaces seu steatomatosa substantia quaedam, sebo vel caseo similis, reperta est, quae saepe artariae lumen ita obruebat, ut vix sanguini vis non impediretur. Ex hac mate-

(1) Velpeau. Opere citato. pag. 55. et 57.

rie, cujus sensim immutationes, factis repetitis opportunitatibus, auctores prosequuti sunt, magis magisque in dies duratâ ita, ut osseam naturam paullatim adipiscatur, Aortae lithiasin Haller deducit; quâ in re consentientes habet illustres viros, quibus inscribitur Scientiarum Medicarum Repertorium. Quae steatomatosa congeries, vel sebacea, undenam repetenda est? —

Distant tonsillae quoad structuram a tunicis arteriarum; at vel in his, Portal monente, tubercula efformantur, quemadmodum surgunt et in tonsillis grana quaedam quasi puncto primum candido, ex ipsarum superficie salientia, quae deinde conspicua magis semper evadunt donec omnes aut sponte exeant, aut sub tussi vel sub sternutatione expromantur, renoventur vero, avulsis (ut ita dicam) prioribus; quae sic ejecta milii magnitudinem aequantia, coloris albo-cinerei, odoris ingratissimi digitorum compressio in massam laminulis quasi compositam dilatat. Quae tubercula (ut ea sic vocem) repetita phlogosis tonsillaris, dolor nempe, rubor auctusque calor praecesserunt. Quid mirum igitur si ex propositâ morbi formâ et pariter ex sebaceis tuberculis, quae cutis fert, tubercula etiam et sebaceam congeriem arteriarum partes intimas pervadentia, absque phlogosi posse plerumque gigni contendam? Atque ut procedamus ulterius, nonne hoc et in Lithiaseos efformationem nonnulla dubia diffundit?

et sic nouue et in gangraenam, quam senilam ajunt? Fateor tamen non huic omnino fidandum esse argumentationi, eoque magis cum nondum mihi compertum sit an tonsilla, quae tubercula secrevit, facili negotio ruat in chronicam duritiem.

---

Tubercula inflammationis alii semper productum esse existimant, alii vero negant. Rationi consonum videtur phlogosin frequentiorem esse causam aut illam saltem, per quam tubercula, factâ dispositione, evolvautur: at non aeque videtur cousonum rationi omnem frigidae humidaeque tempestati, victui farinaceo, veneri praecoci aut nimis usurpatae, vim ad tubercula ingenerande inficiari. Receptior sententia considerat enumeratas causas qua debilitantes; quod quidem plerumque fieri, non tamen semper, concedet qui de reagentis natnrae conaminibus non obliviscatur. Donac vero tuharcula delitescunt, donec inobservata turbas non cient, parvi forsan tnm Clinicum interest si sciat, opa argumentationis, tuharculosos homines nutrienti victu, aëra rusticano, motu valido, excitanti denique methodo tractandos esse. Quaecumque rea eorum impellat evolntionem, ubi late pulmouum, jecinoris ancephalique parenchyma tenent, tnm quia viscerum occupatorum muneri officiant, tum

quia partes circumambientes a phlogistico incendio (cujus ope tubercula moliuntur) immunes haud evadant; jure affirmant in Scientiarum Medicarum Lexico medelam esse debere antiphlogisticam, quamvis caute incedendum sit quia diathesis in oppositam cito dilabatur; quod TOMMASINI non phlogoseos immutationem appellaret, diceret autem corpus debile non pati antiphlogisticam medelam, quâ tamen indigeret pars affecta. Qui tubercula in pulmonibus aliisque visceribus judicat esse posse diu sine viscerum phlogosi, quia tubercula et in cute germinent neque ejus exsuscitent irritationem; propositioni primum innititur nondum extra litem positae: deinde; BOERHAAVIO, si colligisset evolvi posse lipomata in cavo thoracis absque pulmonum noxâ vel impedimento, quamvis extra pulmones sita, ex eo quod lipomata vegetent in cute absque cutis molestiâ; atrocia symptomata, quibus occubuit Sancti Albani Marchio et per cadaveris sectionem omnino fuissent inenodabilia (1).

---

Phlegmasiarum chronicarum doctrina, quae spectant praesertim intestinis, magnum ex BROUSSAIS investigationibus incrementum adepta est:

(1) BOERHAAVE. Atroc. Rariss. Morb. Historia Altera.

ex illo, etenim didicimus *causae productrici* phaenomena nonnulla restituere, quae pro totidem morbis ante ejus praecepta considerabantur. At vereor ne unâ tantum ab origine, reliquis omnibus posthabitis, hae multiplicium morborum significationes hauriantur. Febres quasdam adynamicas et putridas ad Gastro-Enteritides esse redigendas, Hypochondriam et Gastricismum saepe a ventriculi, saepius a lentâ intestinorum phlogosi Diarrhoeam atque Dysenteriam ali, symptomatum analysis, curae methodus, necrotomiae denique extra dubitationem collocarunt. Repetam enim quod juvet viscerum actiones a functione viscerum secernere; nam actio semper intenditur per phlogosin, functio pervertitur semper, augetur raro, plerumque imminuitur. Quod iis dictum volo, qui e retardatâ viscerum functione illico de eorum collapsu conjecturam faciunt: secus enim quot encephalitides, quot pneumonitides aliorumque viscerum inflammationes inficiaremur! quâ in re quidem symptomata consensualia, a primariis apprime secernenda, affectionis acui et viscerum respondere dignitati ne obliviscamur.

Attamen cavendum est ne, innixi tantum symptomatibus in re controversâ, omnes, quas sedula aegrorum invisio, quas pharmaca (si libeat), quas cadavera illustrationes suppeditant, aut rejiciamus prorsus, aut supervacaneas judicemus. Quod ego assero quia Vaqué, quia Roche iidem

non semper, in febri ataxicâ atque adynamicâ defunctis, intestinorum phlogosim deprehenderunt, et quia china decocta aegrotos hujusmodi sanavit, quin dici possit intermittentem esse horum morborum typum, et hinc cortice peruviano medentes profuisse (1). Et nunc sponte ad maximas quaestiones devenimus: dantur ne febres essentiales? Phlogosis esse potest alia ac continua? Quamvis salebrosam rem sim ingressus, dicam tamen quod sentio, eoque magis quod summi Viri (2) auctoritatem et ratiocinationes habeo non dissentientes.



Post unicum Morgagni, Itali primum, nempe Bondioli *formâ* et Fanzago (proxime lapsis diebus heu! dirâ atque invidâ morte Italae Medicinae, Suorum amori, inter cunctorum lacrymas, praereptus) *conditione pathologicâ*, auctores sunt, per quos ad morbi cujusque nunc in viscere nunc in systemate praecipuam sedem sequentes medici respexerunt; quam deinde doctrinam ampli-

(1) Antequam Cholera Parisiis grassaretur Broussaisiani morbum Asiaticum ad Gastro-Enteritidem redigebant; at, Lutetiâ jam per choleram conflictatâ, morbum ad incertam classem reportarunt. En dubium ex adcuratiori invisione mali.

(2) Bufalini. Fondamenti di Patologia.

ficarunt Galli, nullam febrim essentialem esse sustineutes. Quo magis equidem medicina in dies profecit, eo magis tam receptus febrium antiquia numerus exulavit a medicinâ, quae viscera tunc et systemata primitus morbo lacessita, propius adcuratiusque interrogavit. Recentiorum quisque labores novit, vindicatamque singulis partibus dignitatem: multa equidem supersunt adhuc, quae desideres; multis etiam acquiescere incautum esset: at pro iis valeat praesumptio quod ulterius prosequutis investigationibus illis, quae nihil dubii reliquum fecerunt in nonnullis febribus, eâdem luce et quae remanent adhuc litigiosae perfundentur. Atque hujusmodi ego disputationem ingressus non essem nisi videretur arcte nimia cum sequenti colligata; cum typo, nempe quem assumat sibi phlogosis in societatem. Quidam enim non solum cunctis febribus sedem adsignarunt; at dixerunt cunctas characteribus phlogisticis incedere, et cum febres nunc continuae sint nunc vero intermittentes, phlogosin pariter et continuam et intermittentem esse posse. Ecqnis non intelligit sic me ab aetate collocari ut esse contentionis arbiter nequeam? Retuli jam Vaqué et Roche anatomias in febribus putridis atque adynamicis, quorum auctoritas eo magis sibi ponderis promerctur quo magis facta, quae referunt, substentatas a se ipsis doctrinas non fulciunt; queis Bonsenii et Ludwigii clarissimas adjungam

animadversiones. Quod tamen non judicium, cujus dicar ego auctor, at nihil praeter est nisi auctoritatum discrepantiam dirimere auctoritate: unde fit ut analogia pariter, quae diffidentiae sternit viam in reliquis febribus, ex eodem fonte deprompta sit. Non bene autem vident consecutioni qui dicunt, sic infirmatis eorum testimoniis, qui febres cunctas qua phlogisticas considerant, phlogoseos etiam doctrinam intermittentis a rebus nuper allatis infirmari. Quae testimonia quidem rejiciat Tommasini noster: animadvertat vero ille quemadmodum, etiamsi encephalitides, gastro-enteritides, gastro-hepatitides intermittentes inter periodicas adhuc febres redigi possint, non idem valebit sermo de Laryngitide, de Bronchitide, de Metritide, de Pneumonitide ipsâ denique, quae et ipsi Frank (1), cujus opiniones Italus noster non ignorat, non raro contigit observanda. Tommasini itaque ostendat opus est medicorum in hoc hallucinationes; secus enim prope positivam rem omnis negativa corruet probabilitas, quaecumque sit. Hoc est vere, juxta monitum clarissimi Cabanis, antiquos viros, aut nobis saltem majores, de factis consulere, quae nunquam aut raro nostris oculis subjiciantur; quin tamen redargui possimus nos tantorum virorum observationibus inertiam nostram praetexere. —

(1) De curandis homin. morbis. Lib. II. §. 185 — 191

Nunc, gressubus ad se receptis, theoriae indulgere nimium illos mihi videor, qui dicunt gastricismo phlogosin jungi necessario. Quae symptomata, quaeso, gastricas perhibent adesse sordes? Ubi dolor? Ubi etiam adauctus sanguinis motus, qui ex phlogistice perverso ventriculi officio exsuscitetur? Nec valet deesse febrim; quis longo stomachus usu extraneis corporibus assueverit: hoc dici nequit nisi de chronicâ ejusmodi affectione, omni morbi ingressu primo (in quo phaenomena esse solent alacriora) posthabito. Id forsan ostendet rectius phlogisticum processum a gastricismo non excitari. Deinde quae remedia magis proficiunt? Tonica profecto, morbi sub initio, quae languentem recreent atque erigant stomachi activitatem: purgantia, quae, aut muci copiam largiorem tum ad ventriculum tum ad intestina cieant, aut motum peristalticum intendant, attamen novis stimulis ea viscera lacessunt. —



Hypochondria nomen est, cui tot saeculis decurrentibus adeo magnum in re medicâ momentum adjunxere. At, quaeso, quid hoc verbo significant? Hypochondria, ajunt, est in homine quod Hysterismus in muliere. Alii chronicam gastritidem, alii vocant ventriculi nevrosin. Ubique invenis quod

non omnino probes. Et quoad primum: quaeram an phaenomena ab eodem viscere in utroque sexu vel a viscere diverso expectanda sint. Si prior opinio arrideat, hinc surgit uteri actionem primitus esse rejiciendam, utero vix in consensum tracto; aut ubi eandem corporis nostri partem in utroque sexu non incusemus, erit semper quaestioni locus; ubinam pathologica conditio sita est; et quae illius natura? —

Observata recentiorum perfuderunt luce conspicuâ satis intimum consensum, quo tenentur uterus et stomachus, tunc praesertim conspiciendum cum graviditas in scenam prodeat. Satis veritati consentaneum videtur nervosam tantum esse posse non raro in utero perversionem, quaecunque ea demum sit; saepius vero et chronicâ sub formâ intimam visceris compagem, a sanguineo systemate quoquoversus pervasam, a lentâ phlogosi correptam reperiri. Viscus digestioni inserviens in iisdem non raro conditionibus locatur ac illud, quod foetum enititur. Et quot difficultatibus obvii non essemus derivare phaenomenorum syndromen ab alterutro primitus et eminenter nitentes, quidquid edoceant praecipiantque medici accuratiores! Quid judicandum de sententiâ Georget (1)? hysterismum nempe fieri

(1) Georget. Ricerche sulle malattie nervose. Parigi, 1821.

ab encephalicâ irritatione? Ab hystero-encephalicâ juxtà Boisseau (1)? Nondum fidere, si quid video, possumus anatomo-pathologicis investigationibus. Quod si cum Roche (2) dicas phaenomena primitus, juxta Lovyer-Villermay, unico ab utero cuncta originem ducere, serpere deinde atque in consensum rapere alia sic viscera, atque tunc accedere veritati opinionem Georget, qui in Nosocomio Salpetriere morbos hujusmodi conspexit longo semper itinere defatigatos; non intelligam cur uterus tunc, qui prima esse deberet mali scaturigo, incolumis reperiatur a Georget: deinde habebis Roche pugnantem cum semetipso. Qui cum definiret quid acuti chronicis morbis distent, hunc primis ait esse characterem, quod sympathias uempe excitent ampliores (3): quod hic contra chronicus hysterismus faceret. At enim consensus ego rectius existimarem in morbis vergentibus ad chronicitatem alacres fieri minus, nec rapidam organicae compagi stragem minantes, at latius diffundi tamen semper, et viscera peti sensim ab iis nobiliora, omnemque pessumdari nutritionem vitamque sensim, ita ut Cesenatis plus mihi doctrina arrideat quoad morborum originem propagationemque (4).

(1) Boisseau. Dizionario delle Scienze Mediche.
(2) Roche. Patologia Speciale. Isterismo.
(3) Roche. Patologia Generale.
(4) Bufalini. Patologia. Capit. XII. XIII.

Quod si de homine habeatur sermo, quanquam consensus medicorum in nervoso mucosae ventriculi membranae vitio hypochondriam affirmet radicari, sunt tamen qui encephalo primigeniam sedem adsignent. Phaenomena insimul sumpta, quibus tot scatent scripta medica et redundat quotidie praxis, diligi equidem ventriculum ab hypochondriâ juniori medico suadent. At quid iste faciet? Quandonam simplicem nevrosin judicabit? Quando phlogosi copulatam? Peto ab expertissimis tanti problematis resolutionem. (1)—

---

Hic etiam Chlomseos nomen exulavit a nonnullorum operibus; quam merito non dixerim. Est pariter disceptatio ad quam morborum formam redigenda sit. Hinc alii aerositatis praepollentiam, sanguinis imminutum robur malamque compositionem, et totius insimul corporis fractas vires considerant: hinc alii contra tum uteri, tum arteriarum chronicam inflammationem. Quae pu-

(1) Barras medicos physiologos incusat, quod nimium phlogosibus, nihil fere nevrosibus concedant. Roche respondet ab hac se incusatione non impetiri, cum ipse tresdecim morborum classes effecerit; et phlegmassiae non constituant nisi unum de sex ordinibus, quibus constat una Classis. Tribuo: at in priori ejus operis parte (nam secunda fere omnis, Sanson auctore, Chirurgiam amplectitur) ex 700 paginis, 400 loquuntur de phlegmassiâ!

gna tamen primo magis intuitu viget, quam re penitus consideratâ. Et primum subeat phlogosin esse non posse diu, quin corporis totius compages non infringatur; subeat in organismo debili, morbis conflictato, virium denique minorem quam par est mensuram sortito, aut viscus aut partem aliquam posse incendio deflagrare; solere quin imo saepius quam robusta corpora non solent. Nec reticerem quod si insignes viri priorem tueantur opinionem, stent alii aeque celebres pro contrariâ sententiâ, in quam a necrotomiis, a curâ, a morbidis denique symptomatibus venerunt. Quem lateat enim sanguinem parcâ manu, aut per hirudines aut per venaesectionem diductum, uterinae saepe congestioni consuluisse et forsan arteritidi? Ne quis putet vero me hac tantum sub facie Chlorosim considerare: clinicae pariter obsisterem veritati, si oppositae curandi methodi inficiarer emolumentum; et hinc tutius videretur mihi si colligerem esse Chlorosin (1) morbi formam, quae cum utrâque diathesi tam hypersthenicâ, ut

(1) Speranza, si memini, *primariam* chlorosin nuncupat cum nunquam prodierint catamenia; *secundariam* vero cum menstrua, quae jam exorta sunt, aut tacent aut inique fluunt. At *primariam* non melius definires illam, quae ex uteri conditione pendet ad universum corpus proserpente, *secundariam* quum uterus in organismi totius rapitur consensum? Ita enim, morbi sede animadversâ, melius therapiae consuleretur. —

vocant, quam hyposthenicâ conjungatur, praecipue si Amenorrhoea et Dysmenorrhoea qua ejusdem varietates habeantur. Quid vero de martialibus loquemur? En argumentum, quod saepe unum ferunt utriusque doctrinae propugnatores.— Nunquid vero ita fidenti animo eandem cunctis Ferri praeparatis virtutem concedemus? Ego vehementer dubitarem. Forsitan Pyrrhonius antequam philosophus dicendus esset ille, qui roborantem vim in plerisque ferrugineis pharmacis desiderari diceret, aeque ac ille, qui adfirmaret roborantem alium effectum esse ac hypersthenicum. Quaecunque vero causa sit unde poscant activitatem, ex oxygenio, ex acidis, ex quâlibet denique compositione, quâcumque demum arcanâ viâ in textubus intimis propriam exerant virtutem, (in cujus investigationem fictis tantum commentis et phantasiae ludibrio nonnulli ducti sunt) id mihi videretur: Sulphatem in primis Ferri excipiendum esse: si saltem sit inniti fas observatis, quae mihi studiosus, egregius, in re medicâ spectabilis, meique amicissimus nuperrime referebat.

» Mulierem, mediis cum robore tum aetate » praeditam, arripit dolor terebrans ad praecor» dia : cor totum dissilit: pulsus duri, frequentes » adhuc; cutis calor amoene ingens, ingens pari» ter cephalaea, quamvis phlebotomiis instituta es» set: is demum angor ut imminens vitae peri-

» culum judices. Vires aegrotantis ancipitem me-
» dicum relinquunt an nova venaesectio absque
» gravissimo discrimine celebretur. Tunc Sulphas
» Ferri cum Taxo Baccatâ expansionem pul-
» suum, vix tertiâ elapsâ die madorem cuti, ce-
» phalaeae et praecordiorum gravedini, cordis-
» que subsultui, imminutionem conspicuam dede-
» runt. » —

» Juniorem, pulcherrimo corporis habitu dona-
» tam, detentam simul syphilide et graviditate,
» dolor ingens tactu exasperandus ubi ligamenta
» uteri inseruntur, in sinistro primum deinde et
» in dextero latere per vices convellebat; febris
» aderat cum cephalaeâ; pulsubus metallica qua-
» si durities; cutis calor mordax; lingua albido
» muco obducta; urinae excretio difficilis atque
» urens. Hirudines primum adplicatae, curâ ecco-
» proticis, oleis praesertim, creditâ. Quamvis au-
» tem paucorum dierum spatio septies vena tere-
» braretur, quamvis dolor fieret levior; phlogosis
» tamen, membranaceam quasi indolem induta,
» ad peritonaeum, ad pleuram quinimo ipsam pro-
» serpere videbatur, et, quod magis conspicien-
» dum, pulsus fere metallici et cutis arida perdu-
» rabant. Hic pariter Taxus Baccata cum Sulpha-
» te Ferri omnem curationis paginam tribus qua-
» tuorve diebus absolverunt. » —

Geminae tamen hic nobis res objicientur. Sana-
tionem phlebotomiae an allata pharmaca intu-

lerunt? -- Taxus Baccata juvit, imminuit, aut ad nihilum redegit Ferri Sulphatis vim?

Quoad primam ex allatis historiis responsum patet. Venaesectiones enim impares fuerunt ad omnem phlogosin auferendam: supererat namque pulsuum rigiditas, cutis calor; dolens erat adhuc adfecta regio in utroque morbo: quae sensim diffugiere ut allata pharmaca assumebantur, et diffugiendi modus eo magis apparebat (uti idem omni fide dignus meus asserebat amicus) quo magis remediorum dosis intendebatur. His nempe, verbis aliis, morbi reliquiae traditae sunt, quin tamen fas esset dubitare de diatheseos immutatione: aeque ac antimonialia in Pneumonitide ac Pleuritide non antea vocantur, juxta monitum clarissimi Frank, nisi fracto prius impetu morbi per venaesectiones (1). Quemadmodum ve-

(1) Roche affirmat ab Italis tantum in Pleuritide et Pneumonitide Tartarum Stibiatum usurpari; ex quo longius deinde morbi producantur et vena saepius secanda sit. At sciat Roche, Petrum Frank (qui unus integram valet gentem) Italum non esse: neque, quod putem, Burserii auctoritatem parvi faciet: breviores, si quid sibi fidendum, quinimo Tartarus Stibiatus, aut assumptus extrinsece aut extime adplicatus, morbos effecit; et sanguinem vix alterâ, tertiâ ad summum vice detrahere opus fuit. Praeterea nonne Clinicus Parisiensis jure nec dubitat de antagonismo inter pulmones et cutim? Ecquis insuper ignorat quam intendat alacriter Tartarus Emeticus functionem cutis? --

ro Tartari in primis Stibiati intime assumpti immerito vim esse deprimentem negares, quia incautum esset uni Tartrati lixivae Antimoniato pleuriticos pneumonicosque confidere; sic immerito de Sulphatis Ferri deprimenti activitate non colligeremus eâ de causâ, quod exquisitas phlogoses ille unus non sanaverit.

Quod vero, Taxo Baccatâ cum Ferro simul copulatâ, alterutrius vi determinandae non sit locus, quaeram ne incuser si aliquid etiam in similibus exemplis immorabor; quae si referens, nonnulla immo fere cuncta phaenomena uti in nuper allatis referam, datâ lectori forsan satietate, at profecto majori similitudine, corollaria insimul tutius derivabuntur.

In puellâ, quasi annos viginti natâ, firmam compagem corporis et pulchram haematopoesin ostendente, nunquam prius morbidis affectionibus conflictatâ, menstrua, quae semper fluxerant, geminos ante menses siluerunt. Caetera symptomata, ut brevi dicam, invenies in Hysterismi descriptione quam Lovyer-Villermay elaboravit (1); (quam si juvat videre est): insuper junior subito extra sensus concidebat, spumas ore agens more epilepticae, quin tamen convelleretur. Nulla causa praecesserat, nisi quod amanti leviter formidaverit suo, ne absens diu in extranea litora

(1) Trattato delle malattie nervose. Parigi, 1821.

compelleretur. Ad revulsiva primo confugitum fuit per viscerum tubos; deinde vena semel fuit secta: aqua Lauro-cerasi simul propinata, et Gummi Asa-Foetida parum profuere: dolor ex utero ad lumbos quasi totaque ad hypochondria divulgabatur; vix levior erat morbi comitialis facies, quanquam rarius irrueret: bona ex duodecim hirudinibus utilitas capessita; at bene multa adhuc in pulsibus, in paroxysmis illis, in dolore desideranda relinquebantur. Tunc, mente equidem ancipiti, praescribebatur tamen calybis sulfas; metuebatur namque ne tonica aethiopis, carbonatis, aliorumque noxia fieret potentia: ex quo eadem effectus celeritas habita, idemque gradus, ac cum Taxo Baccatâ in nuperrime allatis historiis vidimus jam usurpatam: nisi quod et menstruus fluxus solitâ mox tempestate puellam salutavit, cui, novâ sine labe, quinque jam menses decesserunt.

Phaenomenorum, eorundem ferme, leviorem minoremque coacervationem, aliam aeque robustam juvenem scio hunc e venaesectione emancipasse, in quâ cuncta pariter, remedii ejusdem ope eodemque modo, divanuerunt.

Ferri Sulfatem itaque deprimenti facultate instructum, eâdem nempe ac Taxus Baccata, esse mihi videor ut simul jungi possint, atque amice conjurare.

Tribuam posse quempiam Amueorrhoeam at-

queDysmenorrhoeam morbos a Chlorosi semotos considerare: at in historiis, quas, mihi relatas, retuli, negabit nemo phlogisticae imaginis praesentiam: hinc non semper indistincta da Chloroseos hyposthenicâ naturâ colligerent idcirco, quia Ferri praeparata juverunt in Chlorosi. Nec repetam hic quae de generali corporis conditione, a conditione peculiaris textus distanti, alibi jam (et satius forsan) exposita sunt. —

Atque ut etiam de cutaneis morbis aliquid leviter attingamus: Eorum jam neotericis fera cunctis natura, primâ eruptione saltem, a processu phlogistico substentata consideratur. Quorum tamen curae, si Clinicis fidendum est Biett magistro eruditis, consulimus saepe acriori irritatione in partibus aegrotantibus suscitatâ, et praesertim unguentis, quae Jodum ingreditur atque Hydrargyrus, aut Jodum et Sulphur (1). Quid dicendum itaque de facultate deprimenti, quâ passim perhibent sulphur atque hydrargyrum ornari? quidquid aliquis in extremâ animali fibrâ per aciem imaginandi sublatas a sulphure ac depressas folliculorum sebaceorum aliarumque cutis partium, (idque vi contra-stimulanti) vi-

(1) Cazenave e Schedel. Trattato delle malattie cutanee.

derit Inflammationes, ne mihi audaciae scribant asserenti experimentis adhuc esse opus ad hujuscemodi controversiam dirimendam. Et de mercurio aut intime aut frictionis formâ propinato, per analogiam, ex Tartari Stibiati diverso (juxta ministrandi modum) effectu ne colligant. Primum enim Tartratem Lixivae Antimoniatum quis aegrotanti consuleret, cujus primae viae non carerent inflammatione? — ut fas sit argumentari localem ipsius effectum alium esse ac contra-stimulantem: — deinde quem lateat eadem semper phaenomena Mercurium subsequi aut cuti admotum aut per intestina demissum? Deinde qui poterit explicari quod unguenti mercurialis, juxta methodum VELPEAU, bona quantitaegeminis vicibus, horae tantum facto intervallo, oblata, rarius aut nunquam salivationem cieat, quam ciere solet eadem quantitas, refractâ dosi et spatio temporis majori propinata? Lamentamur saepe hydrargyrosin post Mercurium: quam quis asseret cum hyposthenià partium affectarum deambulare? Multae denique secretiones augmentum capiunt ex hoc pharmaco, utcumque de solventi ipsius vi auctores cogitaverint. Nunquid tunc dicendum: Nimiâ phlogosi viscerum ante illum functiones siluisse? Caveamus ab hypothesibus. Aliâ tamen ex parte phlogistici saepe morbi mercurio cedunt: — id num accidit aliâ phlogosi in partibus ab affectione remotis, suscitatâ? Non cre-

derem; cum eadem fere systemata et easdem partes diligant Mercurius pariter et Syphilis. Quid quod sulphur sanet Hydrargyrosin? Actionis hinc oppositae pharmaca praedicabis? At quis geminae rei ignoratione detinetur, eo, primum, funestam esse minus Hydrargyri activitatem, quo magis functio organorum periphaerica intendatur; et deinde sulfur cutim quasi vi specificâ succutere? Et quae ante Mercurii absumptionem aut cum illâ valent, nonne absumpto pariter valebunt? Hae sunt quidem conjectationes: at conjectationes aequa oppositae doctrinae innituntur, neque jure affirmandum est illas instrui quasi mathematicâ veritate. —

Et quoniam loquimur de syphilide: Reformidat bubones inguinales Larrey ferro discindere, ne vases ita capillares recisi pus syphiliticum absorbeant; hinc tumorem potius caustico diffindens (1). Velpeau contra in glandularum phlogosi duo videt elementa: glandulae nempe turgorem ruboremque, quin adsit saepe suppuratio; textus deinde cellularis, glandulam ambientis, conditionem phlogisticam, in quo saepe morbosa

(1) Larrey. Memor. di Clin. Chirurgica. Venezia 1833, pag. 89.

collectio fiat (1). Larga incisio itaque morbificae materiei faveret evacuationi; et glandula ipsa, minus pressa, niteretur facilius in resolutionem. Hoc videtur pro illis stare, qui scindunt bubones ferro, eo quod caustica dolores atroces diuturnosque magis, phlogosin vero exquisitiorem importent. Hic exemplis opus esset philosophice comparatis, queis carens, sufficit ne quod dicaš, Velpeau glandulis quidem irritatis, at non a syphilide irritatis, prospicere? quod simul poscas an venereas labes minus afferat detrimenti quam magis incensa glandularum phlogosis? quod notes pus equidem a truncatis vasis absorberi posse? quod addas Larrey ipsum proponere solitum esse in vulneribus, aut in phlogosi quâcumque, habenularum recisionem, quae, aut membranae aut ligamenti formâ distensioni non obtemperantes, suppositarum partium intumescentiam strangulent quasi et praepediant? — Nec reticerem, debitâ semper trepidatione, me, post diffissum tumorem cultro, osteocopos dolores, qui prius non aderant, vel pomatâ Roterianâ adhibitâ, (semel equidem) vidisse —

Quaecunque Pellagrae prima atque interme-

(1) Velpeau. Anatom. Chirurgica. pag. 71. Capit. V. Art. III. §. 2.

dia stadia sint et pathologica conditio; quidquid discrepent auctores, oppositam saepe medendi methodum praescribentes; illa universae videtur secum trahere nutritionis imbecillitatem: in quo tamen nil invenies, quod forsan commune non gerat cum reliquis omnibus diacrasiis. At qui ostenderit abdominalium viscerum emphraxes, quin volumen saepe adaugeatur, post illam sequi, et Aracnoitides plerumque miserae vitae finem, aut infelicissimam conditionem, imponere, epiphaenomena solventibus tantum atque antiphlogisticis, dum in medicâ potestate situm est, remediis auferenda; quid de Therapiâ benemerebitur? Ejus praecepta est qui fulciat, qui cum partiales ita congestiones abstulerit, organicae jacturae utiliter victu bono, et lacte praesertim, consulit. —

---

Ex aponeurosium in omne corpus diductione rheumatismi vagum ingenium juxta alicujus meutem exurgit (1). Tunc hujus morbi sedem non ulterius in musculorum substantiâ collocarenius. Quamvis autem per musculos motus fiat, atque sub motu dolor exasperetur, ut inde probabilius in musculis morbum dicamus figi quam in telis

(1) Velpeau Opere citato. Capit. III. Aponeurosi. § 2. pag. 42. —

aponeuroticis, eoque magis quod saepe vel rudis pressio dolorem non intendat, et hinc membranas musculorum contractione pressas dolere jure non asseras; therapeuticae tamen indicationes eaedem manebunt, cum remediis destituamur in membranas antequam in musculos agentibus.



## THESES DEFENDENDAE

### I.

Frustra quisque meditabitur novam, dummodo ea vera sit, in medicinâ thesin proponere.

### II.

Syphilis multo jam tempore latens, datâ excitante quâvis occasionali causâ, facile iterum in scenam prodit.

### III.

Non, eo quod syphiliticum pus facilius absorbeatur cultro diffissis, erunt inguinum bubones, ut LARREY proponit, caustico curandi.

### IV.

Ex necopinâ maximâ laetitiâ plerumque mentis aberratio: quandoque mors.

### V.

Graviores quandoque causae mitia, mitesque mala inferunt graviora.

VI

In phlogosibus acutis febris defectus malum

VII

Oligo-haemophili ac poly-haemophili in phlogosibus vehementioribus pariter damnandi

VIII

A vitâ lux, a luce vita

IX

Morbus salutem aufert, morbus salutem affert.

X

Vomitus in apoplecticis semper lethalis

XI

Ferri sulphas facultate deprimenti pollet

XII

Quo minus cerebrum eo obtusiores ipsius facultates evadunt

XIII

An facta inficiabimur, quae choleram contagiosum esse morbum perhibent?

XIV

Contagia quaeque primitus sponte nata (*Alter peterem*). Ille primus, quem contagium quodcunque aggressum est, a quo contagium illud excepit?

XV

Cum ea sit medicinae conditio ut quamvis multa sciat, ignoret attamen multa; hinc non pharmaca *semper* propinare est, sed *quandoque* ab illis prudenter cavere: prudentia enim ignorantiam excusat, culpabilem facit audacia.



